



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

peccati, ita nec in illo potuit esse error tam speculativus, quam practicus; & tamen non obstante hac impossibilitate erroris, ponuntur in eius intellectu scientia: acquisite naturales, ad actum scientificum faciliter eliciendum, ut infra patebit: Ergo pariter, non obstante impossibilitate formis in Christo, in eo poni debent virtutes per se acquisite, ad faciliter eliciendum actum naturalem honestum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Virtutes infusæ in Christo sunt superflue: Ergo non dantur. Consequentia patet, etenim gratia non minus abhorret à superfluo, quam natura. Antecedens verò probatur. Virtutes infusæ ponuntur in potentiis animæ, ut facultatem præbent bene operandi in ordine supernaturali: Sed Christi anima hanc facultatem perfectissimè habuit ex unione ad Verbum, cum ex illa reddita fuerit impeccabilis: Ergo virtutes infusæ in Christo sunt superflue.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, concessa Majori, nego Minorem: ut enim Verbum divinum præstaret illud quod virtutes infusæ præstant, & facultatem ac facilitatem præberet potentiis animæ Christi bene operandi in ordine supernaturali, deberet ipsis uniri in ratione principii operativi quo, subindeque illas informare, quod implicat, ut articulo præcedenti ostensum est.

Objicies secundo contra secundam conclusionem: In Christo non fuerunt illæ virtutes quæ habent repugnantiam cum statu beatitudinis: Sed virtutes morales acquisite sunt hujusmodi: Ergo non fuerunt in Christo. Major patet, Christus enim ab instanti suæ conceptionis fuit beatus, Minor probatur. Illæ virtutes habent repugnantiam cum statu beatitudinis, quæ non remanent in patria: cum enim beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, beati possident omnem perfectionem statui beatitudinis non repugnantem: Sed virtutes morales acquisite non remanent in patria, ut docet S. Thomas in 3. dist. 33. quæst. 1. art. 4. & ad Annibaldum ibidem quæst. 1. art. 5. Ergo cum statu beatitudinis repugnantiam habent.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, negatur etiam Minor, nam ut docet S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 1. virtutes morales manent post hanc vitam in patria. Ibi autem S. Doctor loquitur de virtutibus naturalibus & per se acquisibilibus, manifestum est, nam loquitur ibi de virtutibus cognitis à Philosophis, qui nihil de supernaturalibus cognoverunt. Ratio etiam suffragatur: licet enim in patria non remaneat id quod materialiter se habet ad virtutem moralem, ut delectationes ciborum & venereorum, neque timor aut audacia circa pericula mortis, neque etiam distributiones & commutationes rerum quæ veniunt in usum præsentis vitæ; remanet tamen id quod est formale in ipsa virtute, nempe electio recta secundum ordinem rationis, circa honestatem & medium talium passionum: seu ut alii dicunt, remanet quantum ad actum primum & internum illius, non verò quoad secundarium, & externum. Et in hoc sensu intelligendus est D. Thomas cum locis citatis

Tom. IV.

Aasserit, virtutes morales non remanere in beatis: hoc enim verum est de virtutibus moralibus, quantum ad id quod de materiali se habet in illis, vel quantum ad actum illarum secundarium; non verò quoad id quod de formali important, & quoad actum primum & internum ipsarum.

Objicies tertio: Virtutes morales acquisite ponuntur ad refranandas passiones immoderatas: Sed hæ passiones nunquam fuerunt, imò nec potuerunt esse in Christo, cum illæ oriantur à fornice, qui in Christo nec fuit, nec esse potuit: Ergo in Christo non fuerunt virtutes morales acquisite.

Respondeo virtutes morales acquisite poni ad refranandas passiones secundario & ex consequenti, ut si videlicet eas in subiecto immoderatas invenerint, moderentur: per se primò verò solum disponere appetitum ad faciliter & promptè eligendū in propriis materiis conformiter ad rationem. Unde in primis parentibus in statu innocentie fuerunt hujusmodi virtutes per accidens infusæ, in quibus tamen in eo statu nulla erat immoderata passio, cum per donū integritatis pars inferior esset perfectè subiecta superiori. Quamvis ergo passiones immoderate in Christo non fuerint, nihilominus in ipso fuere virtutes morales acquisite, vel acquisibiles, ut de temperantia docet S. Thomas hic art. 2. ad 3. his verbis: *Concupiscentias pravas Christus omnino non habuit, nec propter hoc tamen excluditur quin haberet temperantiam, quæ tantò perfectior est in homine, quantò magis pravis concupiscentiis caret. Unde secundum Philosophum 7. Ethic. temperatus in hoc differt à continente, quod temperatus non habet pravas concupiscentias, quas continens patitur.*

§. III.

Corollarium præcedentis doctrine.

EX dictis inferitur fuisse quidem in Christo magnificentiā, & liberalitatem, justitiā vindicativā, eutropoliā, & philotimiā, sed non virtutem piæ affectionis ad credendum.

Primum docet D. Thomas hic art. 2. ad 3. & probat hæc ratio: Liberalitas & magnificentia versantur erga divitias, non solum illas distribuendo, prout, quomodo, & quando oportet, sed etiam illas penitus contemnendo, quod Christus perfectissimè fecit: exercuit etiam exteriorem liberalitatis actum, modo sibi convenienti, cum iussit pauperibus erogari quæ sibi dabantur, & actum magnificentie, quando pavit quinque millia hominum in deserto. Magnificentiam quoque prodidit in structura præcellentissimi operis, quale nemo eorum qui magnificentissimi audierunt, unquam perfecit, nempe Ecclesiæ sanctæ.

Quod etiam justitiæ vindicativæ fuerit in Christo, sic ostenditur. Justitiæ vindicativæ (ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 1. & 2.) duplex est actus: primus petere à legitimo iudice ultionem peccati; secundus, injurias suas vel Dei defendendo propulsa: Sed neuter ex his actibus repugnat Christo, imò utrumque exercuit: primum cum Joan. 8. petiit adulteram lapidari dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* In quo dicto Christum observasse justitiā docet Augustinus Tract. 33. in Joan. de justitiā vindicativa necessario intelligendus. Secundum verò exercuit, cum Judæis Christo improperantibus quod dæmonium haberet, & quod

Zzz 2

in